

Contra Capitula.

26 **O**ccupantia bona à Prælatò dimissa, vel vacationis tempore obvenientia, cap. quia sape 40. de Elect. in 6.

Recipientia Prælatos, eisque obedientiam absque literis Papæ, Extravag. in jura 1. de Elect. inter commun.

Recipientia ex pacto in ingressu ad Religionem ab admisso prandia, pecunias, aut jocalia, Extravag. sanè 1. de Simon. inter commun.

Non observantia in resignatione beneficiorum contenta in Bulla Pii V. 58.

Contra Religiosos.

27 **A**postatas, in Apostasia ordines recipientes. cap. fin. de Apost.

Recipientes Alumnos ad professionem ante annum probationis, cap. non solum 2. de Regular. in 6.

Superiores, concedentes redditus, aut possessiones Monasteriorum alicui ad vitam, seu aliud certum tempus, nisi necessitas exposcat. Clem. Monasteriorum 1. de Reb. Ecclesia, non alien.

Appropriantes sibi, & usurpantes decimas, ipsis non convenientes. Clem. Religiosi 1. de Dec.

Non deferentes habitum, à Regula præscriptum. Clem. ne in agro 1. §. si quis de Stat. Monach.

Prælatos, ad quos occasione excessuum suorum Religiosorum bona aliqua pervenerint, non satisfaciens personis damnificatis. Clem. Religiosi 1. §. quibus, de Privil.

Postponentes contentibus conscientiam, facere de solvendis decimis: nam ab officio prædicationis ipsò factò suspensi sunt Clem. ult. de Pœn. quam si violaverint excommunicatio nem incurrunt. ibid.

Non-professos, recipientes Ordines Sacros, Bulla Pii V. 75.

Introducentes mulieres intra clausuram Monasteriorum. Bulla Pii V. 20.

Ejectos à Religione. Urban. VIII. Const. 26. §. 10.

Superiores, non exigentes à Sacristis, & Ecclesiarum Regularium ministris singulis annis rationem, de adimplemento onerum Missarum. Bulla Innocent. XII. anno 1697. emanata.

QUÆSTIO V.

Quenam Interdicta de Jure Communi & Constitutionibus Apostolicis sint ordinata?

28 **M**onacelli d. p. 3. in pralud. num. 115. pro ducit sequentia.

Personalialia Specialia.

Contra non servantes formam, à Jure præscriptam in ferendis censuris. cap. sacro 48. de Sent. excomm. & cap. cum medicinalis 1. eod. tit. in 6.

Contra Episcopos, usurpantes bona, vel fructus Ecclesiarum, aut beneficiorum vacantium. cap. ult. de Offic. ord. in 6.

Contra violantes interdictum locale, atque contra eos, qui excommunicatos publicè, vel interdictos, ad Divina Officia, ad Sacramenta, & ad Ecclesiasticam sepulturam admittunt. cap. Episcoporum 8. de Privil. in 6.

Contra eos, qui dant causam interdicto locali. cap. si sententia 16. de Sent. excomm. in 6.

Contra Episcopos, & inferiores Prælatos, qui in visitatione procuracionem excessivam, & præter præscriptam à Jure exigunt cap. exiguit 2. de Conf. in 6. Concil. Trid. cap. 3. Sess. 24. de Reform.

Contra Ordinarios, qui privant beneficiis commorantes in urbe, & eos, qui illa recipiunt. Extravag. Divina 3. de Privileg.

Contra eos, qui Episcopatum, Abbatiam, vel aliam Ecclesiasticam Dignitatem, de manu laici recipiunt. cap. si quis deinceps XVI. q. 7.

Contra Episcopos, vel Abbates, qui bona Ecclesiæ non servatà formà Extravag. ambrosiose alienant. ibid.

Contra Prælatos, usurpantes bona beneficiorum vacantium. Extravag. unig. ne sede vacat. aliq. innov. inter commun.

Contra Clericos, in Sacris constitutos, in crimine fornicationis jacentes. cap. si qui sunt 15. dist. 81.

Contra Prælatos, edentes commentarios in Concilium Trid. Bulla Pii IV. confirmatoria ejusdem Concil.

Contra Metropolitanos de non residentia suffraganeorum, & contra antiquiores Episcopos, de non residentia Metropolitanorum post annum à die absentia eorundem, non certiorantes Pontificem intra tres menses. Concil. Trid. Sess. 6. cap. 1. de Reform.

Contra omnes Ecclesiarum Sæcularium Rectores, & Ministros, recipientes onera perpetua Missarum sine licentia Ordinarii loci: ac etiam contra recipientes pecunias talium legatorum, & eas non deponentes penes personam idoneam. Bulla Urbani VIII. 43. §. 5. & §. 7.

Contra promotos ad Ecclesias Cathedralis, etiam si sint Cardinales, in Romana Curia existentes, intra unum mensem à die eorum promotionis, itineri se non committentes ad faciendam residentiam. Urban. VIII. Constit. 109. §. 7. Tempus ad incurrendas pœnas hujus Bullæ non currit à die promotionis (de quo vidi dubitari) sed à die consecrationis juxta dispositionem Concil. Trid. Sess. 23. cap. 2. de Reform. à quo recipit Bulla interpretationem: quod consecrationis munus Episcopi teneatur suscipere infra tres menses sub pœna amissionis fructuum. Ricc. prax. part. 5. prax. consecr. Episc. resol. 3.

Interdicta personalia generalia.

29 **C**ontra Universitates, habitationem usurariis locantes, aut scœnus publicè exercere permittentes, cap. usurarum 1. de Usur. in 6.

Contra Universitates, concedentes, vel extendentes represalias contra Ecclesiasticos. cap. unico de Injur. in 6.

Contra Universitates, Capitula, vel Collegium, non servantia, quæ statuta sunt circa fructus beneficiorum vacantium in Extravag. unica ne quid Sed. vac. innov. inter commun.

Contra Universitates, Capitula, & Collegia, à Papa ad futurum Concilium appellantia §. 2. 2. Bulla Cœna.

Contra Capitula Cathedralium, dimissoria infra annum à die vacationis Sedis, concedentia Concil. Trid. Sess. 7. cap. 10.

Contra Universitates exigentes tributa ab Ecclesiasticis. cap. quamquam 4. de Cens. in 6.

Interdicta Localia.

30 **C**ontra Dominos temporales, impediens, ne Legatus, vel Nuntius Summi Pontifi-

cis suò fungatur officio, in quo casu loca ipsius impediens subjacent interdicto. Extravag. un. de Consult. inter commun.

Contra Dominum alicujus territorii, qui percutit injuriosè Episcopum, aut capit, vel bannit, vel mandat hæc fieri, vel dar Consilium: tunc enim illius loca subjacent interdicto usque ad condignam satisfactionem. Clem. si quis 1. de Pœn.

Contra Civitatem, quæ inlequitur hostiliter Cardinales, vel insecutoribus consilium, vel auxilium præbet. cap. felicit 5. d. t. in 6.

Contra Ecclesias Clericorum sæcularium, vel etiam Regularium, inducentium aliquem ad jurandum, vel promittendum eligere in illis sepulturam, si postea de facto, in eis, jurantes, vel promittentes sepeliantur. cap. animum 1. de Sepult. in 6.

Contra Universitates, & Collegia, exigentes juramenta illicita, vel contra libertatem Ecclesiasticam. Bulla Greg. XIII. 93.

CAPUT IV.

De Modo procedendi in Delictis.

SUMMARI A.

1. Carceris definitio. 2. & seqq. Triplex illius finis. 5. De Jure Civili carcer ad solam custodiam dicitur. 6. & seq. Aliud est de consuetudine & Jure Canonico. 8. Antequàm aliquis incarceretur, debet constare de corpore delicti. 9. & seq. Ubi & de indicibus contra delinquentem. 11. Qualiter debeat constare de corpore delicti. 12. Aliquando ad hunc finem exhumantur cadavera occisorum. 13. & seqq.

Licentiam exhumandi dat solus Episcopus. 17. & seqq. An tortura possit adhiberi in foro Ecclesiastico? 20. & seq. Edocetur, quando nam restium nomina reo non sint communicanda. 22. Aut eorum confortatio possit intermitti. 23. & seqq. Exponitur, an & quomodo processus criminalis possit institui per viam exceptionis. 27. & seqq. Declaratur, quomodo procedendum sit contra delinquentes, in flagranti deprehensos.

QUÆSTIO I.

An & quomodo delinquentes possint in carcerem conjici.

1 **I**N processu contra delinquentes nihil est frequentius, quàm ut mittantur in carcerem, dictum vel à coërcendò, vel à catendo seu coëdò, seu ejus claritate. Ursaga in Inst. Crim. lib. 4. tit. 3. num. 1. & 2. ubi carcerem definit, esse locum, in quo noxii detinentur, vel ex quo exire prohibentur.

2 **D**estinatur autem carcer ad triplicem finem & effectum. I. ad detinendos homines, ne fugiant, aut cum alijs colloquantur. II. ad illos disponendos & permovendos, ut propter tædium carceris veritatem sincerius confiteantur. III. ad castigandos reos loco pœnæ. Ursaga d. l. n. 3. Et quamvis de Jure Civili juxta l. aut damnatum §. 9. ff. de Pœn. l. incredibile 6. Cod. eod. carcer ad solam custodiam, non verò ad pœnam, sit adhibendus; aliud tamen de consuetudine jam pridem obtinuit; aliud quoque de Jure Canonico receptum legitur in cap. dilectis 55. de

Appellat. cap. tua 6. de Pœn. Cùm enim in foro Ecclesiastico non liceat dictare pœnam mortis aut sanguinis; substituta est pœna carceris, quæ, si in perpetuum infligatur, omnium maxima censetur per cap. novimus 27. §. ult. de V. S. ubi Fagnan. num. 5.

Porrò carcer, etiam ad solam custodiam, non decernitur, nisi constet de corpore delicti, adsintque legitima indicia, ex accusatione, inquisitione; aut aliter resultantia. Passerin. in Tribunali Regular. q. 21. num. 17. Nec solent, ait Ursaga d. l. num. 12. hodie ex consuetudine Italicæ Judices devenire ad capturam, nisi prius examinentur testes, de dictis indicibus contra reum deponentes. Idque etiam alibi, & præsertim in Germania obtinetur, dubium non est, ut passim scribunt Criminalistæ, nominatim D. à Frölichsburg in Commentar. ad Constit. Carolin. lib. 1. tit. 19. n. 1. & seqq. ubi singulariter monet, esse hic cau-

tè procedendum, omnesque circumstantias graviter expendendas: cum ex incarceratione graviter periclitetur honor & fama in carcerati; & nisi agatur ad poenam sanguinis

aut relegationem, ad capturam & carcerem non convolandum; præterquam si persona delinquens sit vilis, inhonestæ vitæ, & malæ famæ.

QUÆSTIO II.

Quomodo constare debeat de corpore delicti?

- 11** Explicatum hoc in cap. præsentis à num. 77. cum distinctione inter delicta, quæ vestigium post se relinquunt; & delicta occulta, ubi ejusmodi vestigia non occurrunt.
- 12** Jam verò, si agatur de delictis primi generis ac corpus v. g. quod violenter occisum fuisse dicitur, jam terræ mandatum sit, rursus erit exhumandum, atque à Medicis & Chirurgis inspiciendum, ut de vulnere, contusione, aliisque signis mortiferis major certitudo haberi possit; dummodò præterlapsum non sit tantum spatium temporis, ut ob putrefactionem nihil verosimile amplius deprehendi valeat. Jul. Clar. in Præf. Crim. §. fin. q. 55. num. 11. D. à Frölichsburg cit. lib. 1. tit. 5.
- 13** sub num. 1. Potest autem solus Episcopus, vel ejus Vicarius Generalis licentiam exhumandi cadavera laicorum pro recognitione faciendâ concedere, etiam si fuerint sepulta in Ecclesiis Regularium. Monacelli in formul.
- 14** leg. præf. p. 3. form. 7. num. 2. Non tamen concedere potest, ut Judices laici recognitionem faciant in loco immuni. Idem ibid. num. 6. ubi refert decretum genuinum Sacræ Congregat. de die 8. Aug. 1645. hujus tenoris: *Sacra & c. prævia maturâ discussione, & de communi PP. Consensu, censuit, standum esse in decisio. sub die 2. Maji 1629. scilicet Episcopos*

posse corpora exhumanda, vulneratos, & testes, extrahere facere extra Ecclesias, & loca immunia ad effectum recognitionis & probationis corporis delicti per Judices & Ministros laicos faciendâ, pro eorumdem Episcoporum arbitrio, rectè tamen regulato. Non autem posse facultatem concedere eisdem Judicibus & Ministris laicis in Ecclesiis & aliis locis immunibus actum aliquem recognitionis cadaverum, seu examinis vulneratorum, & testium, nisi in casu urgentis necessitatis, quando Summus Pontifex commode adiri non potest; ideoque pro eorumdem Episcoporum arbitrio, rectè tamen regulato. Superioribus verò Regularium minime licere in Ecclesiis, & locis immunibus ipsorum Regularium, sed id ad solos Episcopos spectare. Quâ verò ratione corpus delicti per visum repertum, ut vocant, seu ocularem inspectionem institui debeat, exhibet cit. D. à Frölichsburg d. r. num. 1. nosque aliqua delibavimus in tom. 2. lib. 2. tr. 3. cap. 9. à numer. 41. Quidve faciendum sit, quando dubitatur, an crimen admissum fuerit, veluti dum homo mortuus reperitur, aut in aquis submersus, nec apparet aliquod illatæ violentiæ signum, nec cognitum habetur, an se ipsum submerferit, vel alius ipsum in aquas præcipitaverit, tradit idem à Frölichsburg d. lib. 1. tit. 4. num. 5.

QUÆSTIO III.

An inquisitio severa seu tortura adhiberi possit in foro Ecclesiastico?

- 17** DE hac inquisitione seu tortura nonnulla subjeci in hoc cap. num. 71. & seqq. item num. 94. & seqq. Ampliora de variis torturæ gradibus & formis præscribunt Criminalistæ, in specie D. Ursaga Instit. Criminal. lib. 4. tit. 4.
- 18** & D. à Frölichsburg lib. 3. tit. 4. & seqq. Solum amodò restat inquirendum, an etiam in foro Ecclesiastico possit adhiberi? Spectatâ antiquiori Ecclesiæ disciplinâ, locum non fuisse torturæ, ex Canonistis perhibent Clariss. PP. Wiestner ad tit. de Poen. num. 26. & Schmalzgrueber ad eund. tit. num. 197. adhi-

pulante P. Reiffenstuel ibid. num. 105. eam tamen pedetentim à curiis secularibus ad Ecclesiasticas pervenisse, adstruunt iidem DD. ita tamen, ut Clericos torturæ subjeci non posse, existiment, nisi magna & majora contra ipsos militent indicia, quàm contra laicos torquendos; ac modus in torquendo sit mitior in Clerico, præsertim Sacerdote, quàm laico: cum propter ordinis clericalis excellentiam; tum propter excommunicationem incurrendam in casu contrario, quò limites discretionis exceduntur.

QUÆSTIO IV.

An testium nomina in processu criminali reo sint communicanda?

- 20** ESSE communicanda, patet ex hoc cap. numer. 86. Limitare tamen oportet hanc doctrinam, si testibus ex eorum publicatione seu nominum communicatione grave periculum imminuat arg. cap. ult. de Hæret. in 6.
- 21** Ne enim testes ex metu hujus periculi aut

omniò se subtrahant, aut genuinam veritatem dissimulent, & sic delicta maneant improbata & impunita, expedit, ut eorum nomina reo haud innotescant. Clarus Præf. Crim. §. fin. q. 49. Magnif. P. König p. m. ad tit. de Accusat. num. 79. Clariss. P. Schmalzgrue-

- grueber ibid. 214. P. Reiffenstuel ibid. n. 209.
- 22** Ex qua ipsa ratione etiam testium confrontationem cum reo intermittere posse, adstruit D. à Frölichsburg lib. 2. tit. 16. num. 7. Ad-

dens tamen, in ejus vicem testium repetitionem, seu iteratum examen instituentium, de quo particulariter agit in seq. tit. 17.

QUÆSTIO V.

An processus criminalis etiam fieri possit per viam exceptionis?

- 23** Ita sentiunt plerique, & cum illis P. Schmalzgrueber cit. l. à num. 241. Potest nimirum alicui crimen in judicio opponi vel civiliter vel criminaliter. Civiliter opponitur, quando reus actori vel testi, ab eo producto, crimen per modum exceptionis objicit eò fine, ut actorem ab agendo repellat, aut fidem testimonii diminuat, opponendò v. g. crimen falsi. Criminaliter opponitur, quando crimen accusatori à reo ex hac causa objicitur, ut debitâ poenâ coercetur. Exceptio, civiliter opposita, non facit quidem hoc ipsò novum processum criminalem, sed tantum operatur, ut actor,

accusator, aut testis per sententiam interlocutoriam removeatur per cap. cum dilectos 2. §. verum de Ord. cognit. cap. licet. 31. de Simon. præparat tamen viam Judici, ut per distinctum processum in crimen & criminolum inquirat. Exceptio, criminaliter opposita, est quasi-nova accusatio & mutua petitio, simultaneo processu dignoscenda & definienda; in quo excipiens assumit personam actoris in ordine ad probandum crimen objectum, debetque omnia ea agere, quæ aliis accusatori incumbunt. Repetantur dicta in lib. 2. tr. 1. cap. 6. à num. 49.

QUÆSTIO VI.

Quomodo procedendum sit contra delinquentem in flagranti deprehensum?

- 27** Delinquens in flagranti potest deprehendi dupliciter; primò ab ipso Juce, qui antecederet admonitus, Titium v. g. sole re hâc & hâc die & hora adulterium committere, simili tempore cum testibus accedit locum delicti, ibidemque Titium in adulterio deprehendit; Secundò ab aliis, quàm Juce, qui Titium, in actuali delicto occupatum, comprehendunt, & ducunt ad Judicem. In utroque casu potest Juce, absque prævia accusatione, inquisitione, vel denuntiatione, non servatò Juris ordine procedere, atque sententiam seu decretum pronuntiare; dummodò prius testes examinet, & reus confiteatur crimen: cæteroquin enim, si crimen negaret, adhuc aliqua dila-

tio pro faciendâ defensione concedenda foret. Reiffenstuel ad tit. de Accusat. num. 267. & seq. qui etiam in num. 269. sapienter monet, aliud esse, si Juce, non quàm talis, sed casu & ex accidenti delinquentem offenderet: tunc enim, cum scientiam duntaxat privatam habeat, ad summum poterit ad inquisitionem, absque alia accusatione vel denuntiatione, servatò in cæteris Juris ordine, procedere.

Planè si quis in judicio coram Juce delinquat, ac vel partem adversam, vel ipsum Judicem verbali aut reali injuria afficiat, absque ulteriori solemnitate puniri potest arg. l. un. in pr. ff. si quis jus dicenti &c. Reiffenstuel cit. l. num. 550.

